

I. N. 7.

DISSERTATIO ACADEMICA,

# FERTILITATEM TERRÆ CANAAN,

EXOD. Cap. III. v. 8.

PARTE POSTERIORI,

Leviter adumbrans,

QUAM,

*Indulgente Amplissima Facult. Philosoph.*

*In Regia Academia Aboënsi,*

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO atq; CELEBERRIMO,

DN. CAROLO ABRAH.  
CLEWBERG,

Græc. & O. O. L. L. PROFESS. Reg. & Ord.

PRO GRADU

*Publice ventilandam sistit*

STIPENDIARIUS REGIUS

NICOLAUS THUNBERG,

V. D. M.

Die X. Mart. Anni MDCCLIII,

Loco horisque ante meridiem consuetis.

---

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc,  
Finland, JACOB MERCKELL.

FERITATEM

Leidekkerus de Repub. Hebr. L. VII. c. 2.

Terra hæc, ob cæli temperiem, æris salubritatem, soli ubertatem, pecorum, avium, frumenti, olei, vini, lassami, ficuum, granatorum, omnisque generis fructuum ex arboribus, herbarum, florum, lactis & mellis, aliarumque rerum abundantiam, fortunatissima fuit, imo vero propter montium, vallium, camporum, urbium vicorumque multitudinem & amenitatem veluti in hortus Edenis vel Paradisus extitit, nequicquam gloriante Assyrio Rege, quod Judæos in terras transferret, quæ suis æquales forent, non ausus est dicere meliores.

Græc. & O. I. I. PROFESS. REG. & ORD.

PRO GRADU

Publice defendendam sibi

STIPENDIARII REGII

NICOLAUS THUNBERG

V. D. M.

Die X. Mart. Anni MDCCCLIII.

Loco horis que ante meridiem convectis.

ABOE, Impressit Dieck & Typogr. Reg. Mazæ. Duc.  
Ferland, JACOB MERCELL.



§. VIII.



Uoniam priori parte dissertationis nostræ in eo præcipue occupati fuimus, ut exponeremus, quo loco habenda esset auctoritas *Strabonis*, ad quam, velut arcem quandam inexpugnabilem, se recepit *Tolanus*, qui fertilitatis Cananæ audacissimum egit adversarium; postulat nunc instituti ratio, ut exorsam pertexamus telam, & argumentis adhuc specialioribus singularem hujus terræ ubertatem adstruamus, præsertim in gratiam eorum, qui rationibus alio ex angulo conquisitis, adhuc forte impediuntur, quominus omnibus nuncium mittere queant suspicionibus.

Ut igitur justo procedamus ordine, initium facere constituimus ab ipso cœli temperamento, quo terra fruitur Israëlita. Sita vero est sub eodem gradu latitudinis, ac ea pars Ægypti, quam *χώραν καλισην της Αιγύπτου* adpellat *Diod. Siculus a)*, & Barbaria Africa, cujus ubertatem magnopere extollit *Bochartus b)*. De nostra vero ita *Maginus*, interprete *Eurenio: Palestina* år af ett hårligt klimat och hålsesamt temperament. Där år lagom kalt och varmt. Slagregn år där aldreig, men doct ett vattenturiskt land, och en stor ymnoghett på allehanda säd, så at man har två vinander om året c). Et climatis quidem



præstantiam aëreque saluberrimum, inprimis circa Hierosolymas, umbilicum illum terræ, ut Judæis persuasum, passim celebrant Rabbini. An vero R. J. *Kimbio* sit habenda fides, quo observante, Hierosolymitani tractus ea est salubritas, ut infirmi ex aliis locis illuc venientes, brevi convalescant, judicent alii. Nos non immerito aquarum copiam meminisse observamus laudatum *Maginum*. Vix enim ulla regio veram fertilitatis laudem tueri potest, nisi hac gaudeat prærogativa. E re igitur fuerit, per partes eundo idoneis evincere argumentis, quod de tanto naturæ beneficio sibi merito gratulari potuerit *Cananea*. Uberissimam roris pluviaeque læticiam primo ponemus loco, nisi §. IV. hæc fertilitatis documenta, quantum satis videbatur, attigissemus. Statim igitur pergimus ad varia aquarum receptacula, utpote; maria, lacus, fluvios, torrentes, fontes, & si quæ erunt generis ejusdem. Magnam omnino partem *terra sancta*, alluit *mare mediterraneum*, in quo innumera piscium genera capiebantur, & nominatim *קלמן* seu cochleæ species, cujus sanguis pretiosissimum efficiebat colorem purpureum, ut ex *Maimonide* refert *Reilandus* in *Palæst. d*). Inter lacus occurrit *Asphaltites*, qui etsi multis male audit, ejus tamen laudes & prærogativas exponet §. XII. Lacus *Tiberiadis*, quem ab aquarum frigore & dulcedine pisciumque multitudine commendat *Josephus e*). Nec frustra legem tulit *Josua*, qua omnibus Israëlitis tribubus concedebatur potestas pisces hamo captandi in hoc ponto, ut ex traditionibus Talmudicis adparet *f*). *Phiala* aquas non modo fundit limpidissimas, sed insuper etiam amœnitate loci, quo sita est, ex universo oriente ad se allicit mercatores, qui toto æstivo tempore ibi proficuas celebrant nundinas, referente *Sancto g*). Ex hoc fonte, ut ad fluvios perveniamus, emanat

emanat celebratissimus per orbem *Jordanes* fluviùs, de quo sic *Myrike*: Et ist der größte und lustigste Fluß von Palästina, er ist sehr fischreich, er läuft durch das Galiläische Meer, so von Fischen wimmelt, gleich wie ich selbst gesehen habe. conf. quæ paulo infra de aquarum bonitate idem auctor refert b). Reliquos persequeremur aquarum promos condos, quales sunt lacus *Samochonites*, torrentes *Besor*, *Schorek*, *Kischon*, *Belus*, *Krisb*, *Kedron*, *Ethan*, torrentes *Ægypti* &c. Sed quoniam id prohibet festinatio, sicco eos transimus pede, mox ad fontes gradum properantes. Hic inter primus se offert fons *Hierichuntinus*, qui planitiem 140. stad. quadr. suis irrigabat undis i). Hunc excipiunt magno agmine alii, quorum præcipui sunt: *Siloa*, *Cbared*, *Nephtosch*, *Jisreeliticus*, fons in *Lechi*. Nec puteus celeberrimus caruit olim *Terra Promissa*. Hoc sane demonstrant, præter alios, puteus *Jacobi*, *Aschaloniticus*, *Gerarius*, quorum in Sacris passim fit mentio. Atque hæc de aquis vulgaribus dicta sunt.

De iis nunc pauca dicenda veniunt, quæ nobiliori pollent usu, & non vitam modo, sed & sanitatem incolarum promovent, quales sunt *Iherma*. De his ita *Marcellinus*: In locis plurimis aqua (suaute natura calentes emergunt ad usus apta multiplicium medelarum k). Huc pertinet fons *Callirhoës*, *Gadarorum* & *Tiberiadis* &c. Nec ipsi *Tiberiadis* lacui hæc gloria est deneganda, si fides habenda *Solino* adfirmanti, lacum *Tiberiadis* esse salubrem ingenue astu & ad sanitatem usque efficaci l). Hinc terra Israëlita optimo jure adpellatur terra rivorum, aquarum & fontium m).

a) Lib. 1. pag 21. b) Geogr. S. c. 488, seq. cf. l' Histoire de l' expedition de trois vaisseaux envoyés aux terres Australes en 1721. P. 1. c. 10. c) in Atlans. Orient. p. 31. d) p. 236. e) L. III. de

bel. c. 18. f) Gem. Babyl. Bava Kama f. 80. g) In Secret. fidel. cruc. p. 247. b) p. 89. i) Jos. L. IV. de bel. c. 4. k) L. XIV. l) c. 48. m) Deut. 8: 7.

§. IX.

Thermis sic recreati, per amœnissimos aliquantisper deambulabimus vallium anfractus. Hæ varii sunt generis, singulæ tamen ad fertilitatem terræ suam conferunt symbolam. Primum ponimus id genus, quod vocatur Hebr. נחל, cujus ea est indoles, ut hyeme alveum rivo torrenti præbeat, æstate vero sicca plerumque compareat. Hujusmodi erant, vallis Gerar, Kedron, Eschol, Schittim. Deinde נַי, quæ quidem cavitationem aquis recipiendis idoneam habet, sed per modum torrentis eas nullibi exonerat, e. g. vallis Melab, Tzephata, Jiphthach El. &c. Tum פּוּע, quæ locum depressiorem inter montes denotat. Tales erant, vallis Rephaïm, Josaphat, Beracha, Malach, Achor, Eta, Ajalon. Tandem הַעֲרָבָה campestris adjacentibus humilior, e. c. vallis Megiddo, Hierichuntis a). De his singulis multa fertilitatis testimonia adduceremus, nisi hujusmodi terræ situs sua ipsius natura vegetabilibus proferendis vulgari experientia deprehenderetur aptissimus. Sed dicis exiguam terræ partem tam proficuo gaudere situ, ideoque non valere consequentiam, cum saxosi montes & arenosi campi multiplo majora occupent spatia. Age igitur & his insignem vindicemus ubertatem. De campis itaque primum. Hos inter maxime memorabilis est amœnissimus Saronie campus. In hoc Flora, quid efficere possit videtur experta. Nam in tota rerum natura vix ullus invenietur locus, in quo exornando majorem adhibuerit diligentiam. Certe tam larga manu divitias suas in hanc effudit plantiæ, ut vel uno hoc documento in pudorem dari queant omnes, qui de fertilitate



tate camporum Cananae ambigunt. Hinc *Salomoni*, flore *Saronitico* & lilio vallium nihil pulchrius *b)*. *Esaias* autem lætissimum ecclesie N. T. statum adnuncians, in ipsa habitaturam pingit gloriam *Libani* & venustatem *Carmelis* atque *Saronis* *c)*. Mirum igitur non est, si *Gaditas* trans *Jordanem* habitantes, ad se pecorum pascendorum gratia, allegerit incomparabilis hujus campestris ubertas. Nam in suburbii Saronitico habitasse leguntur *a)*. Heic etiam *David* pascencia habebat armenta *e)*. Quocirca *Josephus* jure adfirmare poterat πεδίον circa urbem *Bethschemelch* esse μέγα κρη κάλυον, & *Antipatrias* sitam ἐν τῷ κάλυον τῆς βασιλείας πεδίον *f)*. His si minus fueris contentus, plura dabit *Mandrellus*, qui præter campum *Esarelon* varios commemorat alios, quos, etsi hodie incolis destitutos, fertilissimo gaudere solo, adfirmat, ut nihil dicam de latissimo campo ad ripam *Jordanis* sito, quem *Moses* hortum divinum adpellat *g)*. Singulos vero percurrere non sinit brevitas, cui studemus.

Relicta igitur camporum planitie, in præaltas montium eminentias nos elevemus, ut uno quasi obtutu universam contempnemur terram ubique sibi similem & fertilitatis laude dignam. Hos inter eminent *Carmel*, ubi *Flora* delicias & *Diana* divitias inter se mixtas invenimus. Nam vertex ejus latis abundat pascuis, inquit *Hieronymus* *b)*. Fertilis est & fructibus abundans, ait *Theodoretus* *i)*. Hinc *Rex* *Uffas* agricolas & vitatores heic habuisse legitur *k)*. Et *Nabal*, cujus nomen stultum alias significat, in eo saltem sapiens videtur, quod greges suos in hoc paverit monte *l)*. *Carmelum* excipiet *Libanus*. De hoc *Phocas*: Pulcherrimus & jure celebratus in *S. Codice* *Libanus*, mons est praevalidus à vertice usque ad pedes nivis tractus veluti cinnos habens, pinis, cedro cupressoque confusus & aliis iisque fructiferis variis & abundantibus plantis refertus *m)*. His parallela refert *Cyrillus*:

villus n) Libano adjacet *Hermon*, alio nomine מרר תלנז mons nivis adpellatus o), unde nives æstivas sibi deferri curabant *Tyrii*, qui tamen cum altero illo *Hermone*, in vicinia montis *Thabor* sito, minime confundendus p). In hoc teste *Maundrello* q), tanta est rosæ abundantia, ut tentoria habitantium tam copiose perfundere soleat, ac si tota nocte pluisset. Hinc ros ejus in montes siccos descendens, in S. S. imaginem præbet rei exoptatissimæ r). Mons *Garizim* tanta se commendat amœnitate & fertilitate, ut Samaritani vel exinde decidi posse arbitrentur controversiam, quæ illis intercedit cum Judæis de vero loco aræ ab Israëlitis erigendæ s). Quis igitur dubitabit, quin montibus fertilitate illustribus gavisus sit terra tantopere celebrata?

Nec alienum à re proposita fuerit, si pauca hoc loco interposuerimus de ipsis terræ Israëliticæ desertis, ut adpareat, ne hæc quidem à justa fertilitatis laude excludenda esse. Nam מרר נשפא nuspia invenitur oppositum מרר נשפא Hebr. quemadmodum Græc. ἐρημος ἄκαμψιν & Lat. desertum, loco opponitur inhabitato, quin potius iis adjectum reperitur locis, quibus nec incolæ defuerunt, nec solum plantis proferendis idoneum. Sic in מרר יהרהר 6 urbes collocat *Josua* t), & in iis *Engaddi*, ejus campos hortis divino à *Mose* adsimilari, supra vidimus, ad quod accessit insignis uvarum *Copher* proventus ex hortis, qui hic siti erant, quarum honorifica ab ipso *Salomone* fit mentio u). Hinc Judæi pecora in desertis terræ Israëliticæ pasci tradiderunt v). Nec incolis destitutum esse debuit desertum in quo *Joh. Baptista* adventum Messæe adnunciabat, nec herbarum deliciis carere oportuit locum, qui largam mellis copiam suppeditabat x). Audiamus *Maundrellum*, qui seculo superiori vergente suis oculis hanc usurpavit regionem. Ita autem ille: Der ort wo sich Joh. der Täufer aufgehalten



halten, ob es schon eine Wüste genennet wird; in dem es mit Felsen und Bergen eingeschlossen ist, bringet dennoch viel Korn, Wein und Oliven hervor y).

Ipsum etiam terræ colendæ modum quasi in transcurfu breviter contemplari lubet. Hunc esse facillimum vel exinde probari poterit, quod aratra nullo munita ferro in agris fulcandis adhibeant incolæ, uti sæpe se vidisse testatur J. Korte z). Nec pluribus quam binis bobus arationem peragi auctor est Brocardus aa). Artificiali agrorum irrigatione non opus est hic, quali in Ægypto, ubi plus quam 200000 boum hujus rei gratia quotannis necesse est alere bb), ut nihil dicam de ingenti hominum multitudine, qui aquam vel vimineis hauriunt spondis, vel machinis invigilant calcandis, quibus ab inferioribus ad superiora terræ loca extollendi sunt latices. Ros enim & pluvia in terra Israëlita utramque faciebat paginam. Recte igitur Moles eo nomine terram laudat promissam, quod non irriganda esset multo labore uti terra Ægypti cc). Hinc Paula & Eustochium; quocunque te verteris, arator siveam tenens Aleluja decantat dd). Præterea ipso messis tempore nullis imbribus aut corrupiebantur fruges, aut interrumpiebantur labores ee). Nihil igitur habuerunt antiqui T. S. inhabitatores, quod vel optare possent ad majorem rusticationis facilitatem.

a) cf. Rel. Pal. L. 1. c. 54. b) Cant. 2: 1. c) Es. 35: 2. d) 1. Chron. 5: 16. cf. Rel. Pal. p. 371. e) 1. Chron. 27: 29. f) L. 1. de bel. c. 21. g) Gen. 13: 10. h) in Com. ad Amos 1. i) in Com. ad Es. 29. k) 2. Chron. 26: 10. l) 1. Sam. 25: 2. m) in descr. Palaest. n) in Com. ad Es. L. V. p. 848. o) Targ. Hieros. ad Deut. 4: 48. it. interp. Samar ad b. l. p) cf. Ep. Paulæ ad Marcell. 44. q) p. 57. r) Ps. 133: 3. s) Deut. 27: 45. cf. Eskuibe p. 61. t) c. 15: 61, 62. u) Cant. 1. 14. v) in Cod.

*Cod. Bava kama c. 7. x) Matth. 3: 4. y) p. 154. z) in icin. c. 8. p. 434. aa) in deser. T. S. c. 2. bb) vid. Paul. Luc. itin. in Egypt. T. I. L. IV. cc) Deut. 11: 10. dd) in Ep. ad Marc. cell. ee) Hier. ad Am. 4. cf. 1. Sam. 12.*

### §. X.

Sic cœli solique conditionem breviter consideravimus, etiamque deprehendimus optimam. Peropportuna jam nobis esset occasio in omnia naturæ regna ulterius excurrendi, exque singulis innumera fertilitatis documenta producendi. Verum cum arctissima chartulæ angustia tantas non capiat divitias, pauca tantummodo adferemus exempla, ne dicendorum copia aut nos ipsos obruamus, aut Lectores nostros defatigemus. In regno animali præcipuam attentionem merentur ex armentis boves & ex pecoribus oves, à quibus incolæ maximam butyri lactisque copiam habebant. Horum enim animalium, sive numerum species, sive præstantiam, vix ullam nominabis regionem, quæ hæc in re cum Cananæ sit æquiparanda. Non enim armentorum aut pecorum inopem fuisse oportuit terram, ejus Rex solum vice 22000 boum & 120000 ovium sacrificiis impendere valebat a). Unde & duabus horis, vespera Paschæ, quæ sub *Cestio* celebrata est, cæsa fuisse Hierosolymis agnorum 25000, refert *Josephus* b). Idem etiam ob boni graminis copiam *lacte abundantes* dicit terræ pecudes c). Nec unicus hic erat usus pecorum apud Israëlitas. Insuper enim corium, vellera, lanam, & imprimis optimam suppeditabant carnem. Testatur hoc totus peregrinatorum cœtus. De ovibus dicit *Rauwolfius*, quod carne unius caudæ 4 homines abunde saturari possent d). Nec mirum, ovium enim in oriente pingvedo imprimis in cauda sita erat, Hebr. אלהי דיִתא dicta, voce ovibus maxime propria & אֵלֵי בֵּבֶי probe distinguenda. Caudæ hæc Arabibus *copiosa* s. *divites* audiunt אֵלֵי בֵּבֶי earum-

earumque minimæ 10, vel 12 libras pendent, nonnullæ autem 40 libras pondere excedunt, teste *Golio e*). Multa de ovium caudis, apud veteres non minus quam recentiores, legere datur, quæ heic post alios excitare nolumus. Hoc solummodo monuisse non pœnitebit, Talmudicis etiam earum mentionem fieri, e. g. Tract. de Sabbato c. 5. in *Misna*: arietes (die Sabbati) non egrediuntur cum plostello cum cauda sua. Et in *Gemara*: non egrediuntur arietes cum plostello, ne caudam suam insectant. Et *Glossa* ad h. l. Plostellum illud est parva rbeda, quam cauda supponunt, quia caput cauda illorum arietum est latum, ad instar agricultis neque habet ossa, sed pinguedinem & densitatem & gravitatem: & cum humum verrit, laceratur & corrumpitur. Proinde plostellum ipsis aptant, quod post eos volvitur cum ambulat, & cauda illic alligatur. De ipsa eorum multitudine sic canit *Ovid*.

Mille greges illi, totidemque armenta per herbas  
Errabant f).

Conf. Ps. 144: 13. ubi *David* oves describit מַלְיוֹת  
χιλιοπλάσιαζόμενας & מַלְיוֹת מֵעֵשְׂרֵת מֵאוֹתוֹת  
runt autem oves Palæstinae non modo מַלְיוֹת מֵעֵשְׂרֵת מֵאוֹתוֹת  
μοτόκοι, sed etiam biferæ, ita ut de hac regione aliqua ratione obtineat illud *Virgilii g*):

Bis grævida pecudes, bis pomis utilis arbor.

A fœcunditate proinde nomen מַלְיוֹת ovibus impositum observat *Bochartus Hieroz.* P. I. p. 432. coll. rad. Arab مَلْيوٌت facundus fuit. Sic & vocibus כבש & עֵשְׂרֵת חֵדָה similem originem adserit *Sim. arcan. Form.* p. 622. & 662. Nullum igitur est dubium quin *Moses* optimo jure lacte abundantem pronunciaverit terram, in qua greges tantæ bonitatis tanta alebantur copia. Nunc vero, quod melle etiam exuberavit T. S. ostendendum est breviter. Apibus hostes suos ad-



similat *David b*). Quum autem ex rebus ubique obviis similitudines desumere soleat S. Sanctus, nullum est dubium, quin vel exinde ad ingentem hujus insecti multitudinem recte queamus concludere. Confirmant hoc peregrinatores. Docent enim, quod apes loca mellificationi apta non inveni- entes, vel in nudo solo, vel in cavitatibus arborum, vel in fissuris rupium nidifcent *i*). Causam reddit *Schavius*, quod montes passim herbis abundarent aromaticis, quibus impense delectantur apes *k*). Hinc in S. Sacra generatim mentio fit mellis agrestis *l*). Speciatim mellis rupis *m*), mellis de petra *n*). Quid? quod in cadavere leonis nidifi- casse legantur *o*), & mel in sylva fluxisse *p*). Non igitur mirum quod cecinerit Poeta:

*Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant,  
Flavaque de viridi stillabant ilice mella q*).

Hinc butyrum & mel cibum communem admodum & ubique obvium in Judæa fuisse monet *J. G. Altmannus* in dissert. de *Immanuele butyrum & mel comedente*. Nec hoc sine rati- one; narrat enim *Maundrellus*, tractus hujus terræ, alias nostra ætate incultos, quales in vicinia maris mortui ja- cent, tantam apum habuisse copiam, ut longe lateque mel- lis & ceræ odorem naribus haurire liceret *r*).

*a*) 1. Reg. 8: 63. *b*) L. VII. c 17. de bel. *c*) L. II. c. 26. *d*) p. 323. *e*) in Lex. Arab. *f*) Met. L. IV. *g*) Georg. L. II. *b*) Ps. 118: 12. *i*) *Zabus* gründlich erklärte *Evang. Matth.* p. 212. *k*) in *Allgem. Welt-Historie T. III. p. 628.* *l*) *Matth.* 3: 4. *m*) Ps. 81: 17. *n*) *Deut.* 32: 13. *o*) *Jud.* 14: 8. *p*) *1. Sam.* 14: 26. *q*) *Ovid. Met. L. I. v. III. r*) p. 89.

## §. XI.

Ad regnum vegetabile si pedem promovere velimus, admirandam invenimus Cananæ fertilitatem. Etenim tanta arborum, fructuum, herbarum graminumque læticia exsul- tabat

tabat *Palæstina*, ut verbis exprimi nequeat idoneis. Hoc vel sola evincit *Palma*, unde non tantum urbs *Hiericho*, præcipuum ejus domicilium, dicta est Hebræis עֵר הַתְּמָרִים i. e. urbs *palmarum* a): sed & tota terra Græcis Phœnicia audit, h. e. regio *palmaria*. Proprietates hujus arboris plane singulares occasionem præbuerunt variis latissimarum rerum emblematis apud auctores, tam Sacros, quam profanos. Singulis anni mensibus novos producit fructus, unde Philologi credunt ad illam alludi in Apocalypsi Johannaæ, quod ex *Hieronymo* observat *Eskuche* b). Dactyli, quos profert, ab amabilissimo colore rubicundo albescente, nec non jucundissima fragrantia & suavitate omnibus commendantur scriptoribus. Hi & cibum & potum præbent hominibus, eumque gratissimum. Dum tota eorum substantia commeditur, saturandi, calefaciendi corroborandique vim habent; dum vero succus ex iis elicitur vinum dant præstantissimum, teste *Dioscoride* c); Mel vero dulcissimum ex iis exprimi docet *Maimonides* d) & *Josephus* e), adeoque, panem, vinum, mel, oleum lignumque hanc arborem præbere constat. Virtutes ejus 360 celebrari Babyloniis Persisque tradunt *Plutarchus* f) & *Strabo* g). *Ficum* etiam copia abundasse Palæstinam est notissimum. Verebat autem hæc arbor fructum & copiosissimum & jucundissimum, qui veteribus bellariorum loco fuit. Unde Græcis σὺκκων τροφήν idem est ac molliter & delicate vivere h). Nec quisquam de præstantia & copia ficus in Cananæa dubitare poterit, qui intelliget quid sibi velit tritissima scripturæ formula: *quisque sub sua sedebit ficu*. *Vitis* in omnibus fere angulis copiose crescebat, vinumque reddebat & plurimum & præstantissimum. *Vites* Bethlehemicæ tam grandes producebant uvas, ut vino ex tribus earum acinis expresso, impleretur scyphus, teste *Rauwolfio*. Unde magnitudinem botri à *Mose* memoratam

moratam nemo miretur; cum *Relandus* virum integerrimum, *Henr. Lub.*, narrantem inducat, se vidisse, dum in Palæstina habitaret, botrum uvarum, cujus pondus ipse exploravit, & deprehendit esse circiter 9 librarum i). Vini Saronitici tanta erat excellentia, ut duabus aquæ partibus dilui deberet, antequam hiberetur k). Nec ullus locus huic arbori erat inimicus. Nascebatur enim non solum in vallibus e. g. *Esebol*, *siddim* &c. sed & in ipsis montium rupibus. Hinc *D. Kimebi*: *vidi in libro Assaph meacici, quod vinum Libani, Hermonis, Carmeli, montium Israël, Hierosolymoram & montium Samaria excellant super omnia vina odore, sapore atque medicina l).* vid. Hierobot. O. Cels. T. II. p. 402, seq. qui loca T. S. ubi vites vel olim cultæ fuerint, vel adhuc colantur, in scriptoribus observata, erudite pro more suo nobis exhibet. Idemque concludit in tribus Judæ & Benjamin, cum vineas frequentia, tum vinum bonitate excelluisse supra ceteras p. 410. Has excipiet *Olea*, cujus in S. S. honorificentissima fit mentio m). Hinc & שֵׁנֵר הַלְּמַבְּנוֹרָה arbor benedicta Arabibus audit, nec nisi in fundis præstantibus, sanctis, benedictis crescere eandem testatur *Jbn o' I Vardi*, apud *O. Cels.* in Hierob. P. II. p. 337. ob copiam & præstantiam olearum imprimis celebrari Judæam, testis est *R. Levi* in *Breschit Rabba* Sect. 91. ubi refert inter res terræ Canaan maxime decantatas. Idem testantur, præter itineraria, S. Codicis loca, quæ de rebus ad olearum curam pertinentibus agunt, varia. Sic apud *Mich. c. 6: 15.* calcandarum olivarum fit mentio. Pressorii יָקֵב apud *Joëlem*. Rabbini קוֹטֵב adpellatur lignum grande, quod olivis imponitur ad premendum. Quid sibi velint בֵּית הַכֹּהֵן בּוֹרֵיהֶן aliaque doceant nos Talmudistæ. Olearia moxæ descriptionem, quid מַיִם מַרֵּעִים *mare*, quid כַּתּוּלֹת *virgines*, quid reliqua, nobis exponant Ebrai. cf. *R. Mos. Maim.* ad *Taharot* c. 9.



S. 8. it. *Maimonides* cum aliis in notis ad Bava Batra c. 4.  
 S. 5. Tantam autem vim olei quotannis producebat T. S. ut non usibus tantum incolarum abunde sufficeret, sed & eximia ejus quantitas ad alios exportaretur populos. Hinc quarunt Rabbini: *quid facerent olim 10 tribus?* Respondentque, *oleum misisse in Aegyptum n)*. Apud *Tyrios* oleo negotiatos fuisse *Judæos*, & *Salomonem* ad Regem eorum quotannis olei coros 20 misisse ex S. S. constat. Ut mirum omnino non sit, *oliveta* & *oleum* in optimis possessionibus habuisse *Reges Israël* o). Nec *oleum* duntaxat, sed *ingentem* quoque *copiam vini, tritici, hordei, mellis & opobalsami* ad externos exportabant *Judæi* p). *Divitem Judææ* existisse *proventum è balsamo & πρόσδοον λαμπραν* testatur *Justinus* (\*) & *Diodorus Siculus* (\*\*). *Rarum, omnium præstantissimum, utilitatis in medicina summæ, rependebatur, quo loco nascebatur, Dioscoride* referente, *duplo ad pondus ejus argento* q). Hinc *Cleopatra* *Reginæ Aegypti*, qui ejus amore captus erat *Antonius* vestigal è balsamo cum regione ejus ferace dono dedit. *Herodes* autem hos balsami reditus à *Cleopatra* postea conduxit r). *Balsamum* in his tantum regionibus gigni tradunt *Just.* & *Joseph.* l. c. Sic & uni terrarum *Judææ* concessum asserunt *Plinius* s), *Strabo* & *Diod.* Sic. l. c. *Hebræos & Palæstinos* liquores balsamum adpellat *Strabius* t). Sed *Arabia* quoque & *Aegypto* vindicant alii. Sic *Judææ & Aegypto* tribuit *Dioscorides* u). *Prosper Alpinus* de Balsamo, *Arabiam natale ejus solum esse, ibique hodiernum sponte provenire, docet.* Quorsum etiam spectant verba *Josephi*, tradentis, *Reginam orientis, quæ Salomonem* convenit, inter alia dona radicem balsami Regi obtulisse v). Id tamen non obstat, quo minus optimum & præstantissimum soli *Judææ* circa *Hierichuntem* vindicandum censent idem *Josephus* x). *Spatium loci, quo colebatur, Justino*

auctore:

auctore, 200 jugera. *Plinio* vero & *Solino* referentibus 20 erat jugerum, nimirum usque ad victoriam Romanorum. *At cum Judæa positi sumus*, ait *Solinus*, *ita luci illi propagati sunt, ut jam nobis latissimi colles sudent balsama. Pompejus, per nemora illa odorata, per thuris & balsami sylvas, Romana circumtulit signa*, teste *Floro* L. III. c. 5. Ultimo illo & fatali bello Judæos odio Romanorum balsami sylvam excidisse ac vastasse traditur. Interim non penitus interiisse docet *Plinius* l. c. *Seviere in eandem (arborem) Judæi, sicut in vitam quoque suam. Contra defendere Romani & dimicatum pro fructice est. Seritque nunc eam fisci, nec unquam fuit numerosior aut procerior.* Quid? quod, dum regio maxima premebatur annonæ caritate præstantissimos fructus פורת הארץ in Ægyptum transmiserit *Jacobus* γ). Nec his solum temporibus, sed & sequentibus Israëlitas ex sua abundantia aliorum sublevasse inopiam constat α). Sequitur *Tappusch* s. *malus Cydonia*, quæ *contactu est instar violæ, ut non inquinet, sed fragrantia oppleat tangentem & saporem habet suavem estque olfactu & visu jucundissimum malum; ut merito laudetur, quod omnes una sensus alliciat αα).* Quid dicam de *Elah* s. *Terebintho*, longæva arbore, cujus generis una in *Sichem* stetit ultra 500 annos bb)? De *Berosch* lectissima abietis specie, quæ *Libani gloria* salutatur cc)? De *Ares* pini specie durabili & odorifera, splendidissimorum ædium naviumque idonea materie? De *Schikmot* s. *Sycomoro*, quam laudat *Dioscorides*, quod pomum ter aut quater quotannis ferat dd)? De *Gopher* s. *Cupresso*, cui *Theophrastus* adfirmat, nihil noxii accidere à carie & vetustate ee)? De *Theasschur* s. *Buxo* præstantissima cedrorum specie, cui *Vitruvius* easdem pluresque adscribit virtutes ff)? De *Pishta* & *Butz* lini speciebus pretiosissimis? Quid dicam de reliquis numero & præstantia excellentissimis, quarum fructus vel fami  
sedan-

sedandæ, vel succus sici restingvendæ, vel aliæ partes, tam in re œconomica, quam medica, multiplicibus aliis inserviebant usibus? Has omnes silentio prætermittere cogimur, ut & omnes herbas nobiliores pariter ac vulgares, una cum uberrima graminum copia, unde tot camelorum, asinorum boumque agmina, nec non caprarum oviumque greges faginabantur.

a) *Jud.* 1:16. b) p. 50. c) *Opp. L. V. c. 40.* d) in *Biccur. c. 1.* e) *L. V. de B. J. c. 4.* f) *Conv. 8: c. 4.* g) *L. XVI. b) Cas. ad Ath. L. 8, c. 2.* i) *Rel. Pal. p. 351.* k) *Tract. Nidda c. 2.* l) in *Com. ad Hof. 14.* m) *Jud. 9:7.* n) in *Ecba Rabbati f. 85.* o) 1. *Cbr. 27: 28.* p) 2. *Cbr. 2: 10. Hef. 27: 17.* (\*) *L. XXXVI. c. 3.* (\*\*) *L. 11. p. m. 132. & L. XIX, p. m. 134.* q) *L. 1. de mat. med. c. 18. c. 25. cf. Strab. L. 16, f. 763.* r) *vid. Jos. L. XV. ant. c. 4. cf. Plut. vita ant. f. 932.* s) *Hist. N. L. XII. c. 25. it. L. XVI. c. 32.* t) *Sylv. L. V. v. 213. & L. 11. v. 161.* u) *L. 1. de mat. med. c. 18. p. 24.* v) *Ant. L. VIII, c. 6.* x) *Ant. L. XIV. c. 7. cf. Boch. Geogr. S. L. 11. c. 26. p. 53. seq. Ursin. Hist. Pl. Bibl. L. III. c. 9. p. 266. seq. & Scallig. de Subt. exerc. 157.* y) *Gen. 43: 11.* z) *Act. 12: 20.* aa) *Plut. Conv. Q. L. V. q. 8.* bb) *Gen. 35: 4.* cc) *Es. 60: 13.* dd) *L. 11. c. 182.* ee) *H. P. L. V. c. 5.* ff) *L. VII. c. 13.*

§. XII.

Nec opibus è regno minerali depromtis destituebatur terra Israëlitica. Etenim præter varii generis lapides, magnam quoque metallorum vim ex ipsis terra visceribus effodiebant incolæ. Lapidis, qui Judaicus dicitur, in medicina usum esse insignem putat *Dioscorides a)*. Existisse olim in terra Canaan metalla ferri & aris, & loca S. S. varia b), & aliæ rationes evincunt. Epitheton *πλουχάλυς*, quod Sidonî apud Homerum tribuit *Eumæus bb)*, huc referri potest. *Καρμηλος*, ait *Hesychius*, ἀφ' ἑ χαλκός γινέται, i. e.



i. e. Cermelus (Carmelus) unde æs gignitur. Urbem *Sarepta* à metalli fusione nomen habere largitur ὁ πῖνον *Bochar* (e), licet & alibi d) à fusione vitri dictam adferere videatur. Καλλολιβανον, cujus fit mentio Apoc. 1: 15. τὸν χαλκὸν ἐν λιβάνῳ ὄρει μεταλλεύμενον è veteribus exponunt *And.* & *Arctas Casarienses*, eum interprete Syro & Æthiopico. Suffragantur eruditorum non pauci, æs è Libano monte olim effossum fuisse persuasi. Horum quidem sententiæ subscriberemus libenter, si quid præterea de ære Libanítico apud veteres vel recentiores legeremus. Quicquid sit, vel ex his facile intelligitur, quo pacto *David* sufficientem laboris materiam suppeditare potuerit tot *Ammonitarum* militibus, quot ad metalla legitur damnaſſe e). Plura ad hoc regnum referenda vel unus nobis subministrat lacus *Asphaltites*. Hic *Hæbrais* חַלְסוֹת מַלְחָה mare salu s. bituminis, dictus, quorum utrumque producit. De sale quidem *Galenus*, hunc in modum; χρωταί πολλοὶ τῶν περὶ τὴν εἰς ὅσα περὶ ἡμῶν τοῖς ἄλλοις ἀλσί. δύναμις δ' αὐτῶν ἔχει ἑλληνικὴ (μοχ. διαφορητικὴ καὶ ρυπτικὴ) διότι μᾶλλον τῶν ἄλλων ἐξόπτηται f). *Reperimus*, inquit *Radzivil ff*), ad litus *Æthiopem*, sal colligentem; nam lacus hic sal producit, sed amarum veluti felle mixtum. De bitumine vero tantum non omnes. Ἀσφαλῆ, ait *Dioscorides*, διαφέρει τῆς ἄλλης ἢ ἰεδαμικῆ τῆς λοιπῆς. ἐστὶ δὲ καλὴ ἢ πορφυροειδῶς εἰλιβασα g). Insignem ejus usum ad compaginem navium, tantamque stringendi vim, ut calcis loco esse possit, commendant *Just.* *Curt.* alique. Ad corporum etiam curationem multis remediis admiscetur b). *Hegesippus* autem de *Herode*: *Asphaltis lacus*, plerisque medicabilis, sine ullo profectu agrum tenebat i). *Ægyptii* bitumine ad mortuorum condituras utuntur, χρωταί δ' Αἰγύπτιοι τῆ ἀσφάλῃ πρὸς τὰς τοιχείας τῶν νεκρῶν k). *Pissasphalto* plebejos ad arcendam corruptionem uti, idem *Geographus* auctor

etor est apud Nobiliss. & Experientiss. D. Prof. *LECHE*, in diss. de *Mumia Egyptiaca* 1), qui tamen ibid. erudite docet, non omnes pissasphalto conditos plebejos vel pauperes fuisse. Quocumque igitur oculos converteris, sive ad dextram, sive sinistram, sive sursum, sive deorsum, integra testium agmina animadvertes, qui pleno quasi ore ad cœlum extollunt consummatissimam terræ sanctæ fertilitatem.

a) *L. V. mat. med. c. 100. p. 615.* b) *Deut. 8: 9, c. 33: 25. Hes. 27: 19. bb) od. O. v. 424. c) Phaleg. L. IV. c. 35. d) Hieroz. P. 11. L. VI. c. 16. e) 2. Sam. 12: 31. cf. Danz. diss. de Davidis in Ammonitas devictos mitigata crudelitate. f) *L. IV. de Simpl. med. fac. c. 19. ff) ep. 2. g) Diosc. L. aggreg. c. 177. h) Jos. de B. J. L. IV. c. 8. i) L. 1. de excid. Hieros. c. 45. k) Strab. L. XVI. p. 1109. l) p. 14.**

### §. XIII.

Porro ex ingenti hominum multitudine, qua abundabat Cananæa, haud exiguum additur pondus sententiæ nostræ, qua singularem ejus fertilitatem propugnamus. Quis enim secum habitans sterilem pronuntiabit regionem, quæ intra angustias 520 mil. Svec. quad. 9 milliones & 672000 incolarum alere, & insuper ingentem mercium vim, quod §. XI. observavimus, ad alios exportare potuit? Tantum incolarum numerum terræ Israëlitiæ tempore Davidis fuisse, ingenioso calculo probat Cel. *Reinbeckius* a), adeo ut angusta hæc regio, quæ vix unam patriæ provinciam superat, triplo plures sustinuerit habitatores, quam universum Sveciæ regnum, quod, ut communis fert opinio, non nisi tres hominum milliones huc usque sustentavit. Ne vero quis audacter cum *Clerico*, ad mentionem tantæ multitudinis, in animum sibi inducat statuere corruptionem computi S. Codicis, cui calculum suum superstruxit laudatus *Reinbeckius*, ex eo-

dem

dem transcripſiſſe non poenitebit, quod, ſubduclis ſubducendis, cuilibet colono una cum conjuge & 4 liberis cedat ſpatium 2016 pert. quad. Rhen. unde in terra, quæ haud raro centuplicem reddebat fructum *b*), ſufficientiſſimam alimentorum copiam habere potuerunt; quod adhuc magis erit probabile, ſi cogitaverimus, eos multo, quam nos, parcius viſitaffe. Sed veremur, ne circuli nos arguant, qui cum *Tolando* eandem inſtant tibiã, dum ex Scriptura produci-  
mus argumenta, cujus fides jam eſt adſtruenda. Age igitur, in gratiam profanæ hujus nationis, profana adducamus testi-  
monia. Auctor eſt *Joſephus*, quod ſola Galilæa urbes & vicos numero 204 habuerit *c*); alibi vero minimum Galilæa vicum 15000 incolis ſuperbire idem adfirmat ſcriptor *d*). Quam trifti fato functa ſit Palæſtina ſub *Veſpaſianis*, omnes loquuntur Hiſtoriæ; nihilo tamen minus tempore *Hadriani* 50 arces munitiſſimas, vicosque 985 celeberrimos funditus eſſe everſos; hominum vero 580000 occubiſſe, non computatis, qui fame, morbo & igne interierunt, quorum infinita fuit multitudo, teſtis eſt *D. Caſſius e*). Nec aliud, quam numeroſam Judæorum multitudinem loquuntur ingentes illi Romanorum adparatus bellici ſub *Tito* facti. Nam exercitus ejus conſtabat 6 legionibus, 20 cohortibus & 8 alis equitum, præter copias, quibus præerat *Agrippa*, *Sehemus* & *Antiochus*, & numeroſam Arabum catervam *f*). Quicumque igitur noverit, quanti ſuos fecerint Romani, quotve hoſtibus unam oppoſuerint legionem, non è longinquo videbit quantas Judæorum oportuerit eſſe opes. Nec ſine cauſſa, ſuperatis Judæis, magnificentiſſimum triumphum egerunt *Veſpaſianus* & *Titus* imperatores *g*). Quid dicam de variis numis, quos in memoriã ſubjugatæ Palæſtinæ cudendos curarunt Romani? Annon fertilitatem provinciæ aperte loquitur unus eorum cum inſcriptione: *JU-  
DÆA CAPTA*, quam ſub imagine mœſtiſſimæ ſœmina, ſub palma ſedentis, repræſentarunt? Nihil dicam de monetis, quæ vel  
nomen



nomen *Herodis* cum uvarum racemo, vel *Agrippa* junioris, spicas tenentis, præ se ferunt. Nec reliqua persequi vacat trophæa. Unum adiecisse sufficiat, magnificentissimum arcum triumphalem, quem ex marmore sibi poni voluit *Titus* in testimonium facinoris plane heroici, quo tam splendida provincia Romanum auxerat imperium. Superbum hoc monumentum, nostro etiamnum avo, Romæ prope templum S. Mariæ videre licet. Adde, Titum quo mactarunt, elogium Romani, modestiæ licet veritatisque limites transilire videatur: IMP. TITO. CÆSARI. DIVI. VESPASIANI. E. VESPASIANO. AUG. PONTIFICI. MAX. TRIB. POT. X. IMP. XVII. COS. VIII. P. P. PRINCIPI. SUO.

S. P. Q. R.

QUOD. PRÆCEPTIS. PATRIS. CONSILISQUE. ET. AUSPICIS. GENTEM IUDÆORUM. DOMUIT. ET. URBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBUS. ANTE. SE. DUCIBUS. REGIBUS. GENTIBUSQUE. AUT. FRUSTRA. PETITAM. AUT. OMNINO. INTENTATAM. DELEVIT. Hinc recte interrogat *Elnerus* b): *Aurois-on fait tant de bruit, & dressé de pareils monuments pour l'acquisition d'un pais pauvre & infructueux & pour la reduction d'une poignée d'habitans?* Felicissimam igitur Atlantis insulam decantet *Plato*; terram Hyperboreorum Amazonumque extollant *Strabo*, *Diod.*, *Siculus*, *Justinus*; campos concelebrent *Elyfios* *Homerus*, *Ovidius*, *Virgilius*: omnium tamen laudes nostra sibi vindicabit *Cananea*, quam & à singulis fuisse indigitatam egregiis sane argumentis evictum ivit *Dofst.*, *P.* & *P.*, *Eurenius* nostras i).

a) In den Betracht. über die Augsb. Conf. III. Th. p. 122 seq.  
 b) Gen. 26: 12. cf. Matth. 13: 8. c) in vita p. 22. ed. Haverc. d) de bel. L. III. c. 3. e) L. LXIX p. 794. f) Tacit. p. 424. g) Jos. de bel. L. VII. c. 5. h) Mem. de l'Acad. de Berlin 1745. i) in Atlant. Orient.

§. XIV.

## §. XIV.

Unicum jam restat momentum, ut scilicet, uno alterove verbo, eorum occurramus temeritati, qui ex eo capite pristinam Cananæ fertilitatem in dubium vocare deprehenduntur, quod hodie, multis in locis, minus hilarem ostendat faciem. In genere autem observamus, tristiora id genus phænomena non modo non fidem oraculorum divinorum minuere, sed contra eandem mirum in modum confirmare. Sic enim veritas §. 8. optime demonstratur; siquidem omnia hæc mala, in casu transgressionis divinæ legis, minatus est Deus Israëlitis in ipso terræ limine constitutis a). Agnoscunt hanc veritatem ipsi Judæorum magistri, qui ingenuè faterentur, ob peccata subtractam fuisse benedictionem divinam, sterilitatemque fertilitati successisse b). Præterea, quis mirabitur, si rariores videantur vites in Palestina, postquam esse cepit sub potestate Turcarum, qui vi religionis suæ, non modo negligunt vitium culturam, sed potius easdem extirpant c)? Quis mirabitur, si plures tractus jaceant inculti, postquam adeo invaluerunt atrocina Arabum, ut nullum locum incolis relinquatur tutum? Quis mirabitur, si sterilia dominantur spineta in regione, quæ integro annorum millennario intaustam bellorum exhibuit arenam? Certe si veta narrant *Maimonides & Obadias* Bartenorientis ad Tract. Peab. c. 7. §. 1. *Hadrianum* imperatorem Romanum iussisse, tota Judæa oleas excidi; idem & alias arbores hujus regionis fructiferas subisse fatum, mirum nemini videri debet. Nostro quidem judicio magis mirari convenit, qui fieri possit, ut vel tantilla pristina fertilitatis documenta ostentare queat terra sancta, post tot vastationes Romanorum, Syrorum, Arabum, Turcarum, quæ omni ævo, inde ab Hasmonæorum tempore, in ea acciderunt. His igitur observatis, optime sibi constare putamus Mosaicam Cananæ descriptionem, nec quicquam ei detrahere posse Tolandum, si vel centenarios calumniatorum socios sibi adfiscet. Atque hæc fuere pauca illa, quæ, pro temporis, qua premimur angustia, ad vindicandam castissimam verbi divini veritatem, contra temerarios audacissimorum hominum insultus, adferre potuimus. Deus autem, qui omnis honoris fons est & scaturigo, convertat omnes calumniatores, doceatque omnes homines reverenter habere verbum suum, ut hi nobiscum & nos cum illis cœlestem aliquando *Canaan*, quæ spiritali melle & lacte fluit, intremus!

## SOLI DEO GLORIA.

a) Deut. 29: 22. seq. cf. Matth. 23: 38. Luc. 21: 23, 24. b) vid. Wagenfeil in *Sora* p. 1082. c) *Brucard. itin.* p. 93.

\* \* \* \* \*